

ac Indulgentias, animabus quoque in Purgatorio detentis per modum suffragii applicabiles, videlicet ».

1 Indulgentiam Plenariam tum die 3 Maii in festo Inventionis Sanctissimae Crucis D. N. J. C., quae anniversaria est fundationis hujus Societatis, quaeque Lugduni contigit anno 1822, tum die 3 Decembris in festo nempe S. Francisci Xaverii, ejusdem Societatis Patroni coelestis, incipiendam a primis vesperis usque ad ultimae utriusque festi Octidui diei solis occasum, semel tantum ejusmodi dierum spatio acquirendam, dummodo adscripti vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti vel Ecclesiam, seu publicum Oratorium piae Societati addictum, vel propriam Ecclesiam parochialem devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta Sanctitatis Suae mentem oraverint.

Quod si festa hujusmodi a pia Societate in locis ubi legitime constituta est, celebrentur debitis cum facultatibus aliis diebus, et haec celebratio transferatur post utriusque octavae diem, Sanctitas Sua indulsit, ut adscripti, qui dictam Plenariam Indulgentiam die 3 Maji, ac die 3 Decembris, vel infra respectiva eorum festorum octidua haud lucrati fuerunt, eandem Plenariam Indulgentiam, si, ut supra, rite dispositi Ecclesiam, vel publicum Oratorium, ubi festa praedicta celebrantur, devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, lucrari valeant a primis vesperis diei, in quem unum, vel alterum ex dictis festis transfertur, usque ad occasum solis ejusdem diei; et quoties ipsi adscripti respectivis Triduis dicta festa, vel cum celebrantur die, quo incidunt, vel etiam in casu, quo eadem transferri contingat, immediate praecedentibus, a pia Societate celebrandis, corde saltem contrito interfuerint, toties tercentum dierum Indulgentiam concessit.

2 Item Indulgentiam Plenariam tum lucrandam ab omnibus piae Societati adscriptis in die, qua ubique locorum debitis cum facultatibus semel in anno fiat sollemnis commemoratio omnium adscriptorum, qui decesserunt, tum die, qua similis commemoratio variis in locis, et cum debitis facultatibus fiet a Consiliis

Diaecesanis, a Chiliarchiis, Centuriis, vel Decuriis, pro respectivis fidelibus vita functis, qui ad idem Consilium Diaecesanum, Chiliarchiam, Centuriam, vel Decuriam pertinebant a respectivis Christifidelibus eisdem adscriptis lucrandam, dummodo, etiam, ut supra, vere poenitentes, confessi, ac sacra Synaxi refecti respectivam Ecclesiam, vel publicum Oratorium, ubi commemorationes ejusmodi peragentur, devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta consuetos fines oraverint.

Ut autem animae fidelium defunctorum tam piae ac salutari Societati adscriptorum magis, magisque suffragentur, Sanctitas Sua benigne concessit, ut omnia, et singula Altaria Ecclesiae, vel Oratorii publici, in quibus tam generalis, quam peculiaris defunctorum, ut supra adscriptorum commemoratio perageretur, die, qua haec commemoratio fit, privilegiata sint pro Missis, quae in eisdem Altaribus a quocumque Sacerdote in suffragium illorum adscriptorum celebrabuntur, pro quibus ea die vel generalis, vel peculiaris commemoratio celebretur.

3 Item Indulgentiam Plenariam bis in mense acquirendam, duobus nempe cujuslibet mensis diebus, uniuscujusque adscripti arbitrio eligendis, quibus vere poenitentes, et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, nec non Ecclesiam, vel publicum Oratorium Societatis, aut respectivam Ecclesiam parochialem visitaverint, ibique pariter per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint. Ex speciali autem gratia ejusdem Sanctitatis Suae Romae tum nuper enunciatam Plenariam Indulgentiam bis in mense acquirendam, tum duas alias Plenarias Indulgentias in diebus festis Inventionis Sanctissimae Crucis, ac Sancti Francisci Xaverii, vel in eorum respectivis octiduis elargitas lucrari poterunt adscripti, si, ut alias rite dispositi loco visitationis Ecclesiae seu publici Oratorii Societatis, aut propriae Parochiae, Ecclesiam S. Mariae Magdalenae Clericorum Regularium infirmis ministrantium, in qua primitus haec pia Societas in alma Urbe constituta fuit, devote, visitaverint, ibique, ut supra, oraverint.

4 Insuper Sanctitas Sua omnibus utriusque sexus Christifidelibus piae Societati adscriptis benigne concessit Indulgentiam Plenariam in mortis articulo acquirendam, dummodo tamen rite dispositi fuerint, vel saltem Sanctissimum Jesu Nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint.

5 Tandem Sanctitas Sua clementer concessit Indulgentiam centum dierum ab unoquoque ex adscriptis lucranda, quoties, cordem saltem contrito, praescriptas preces *Pater* nempe, et *Ave* cum Invocatione *S. Francisci Xaveri ora pro nobis* recitaverint, vel aliquam eleemosynam (contrariis quibuscumque non obstantibus) praeter obulum hebdomadalem, et in eundem finem subministraverint, vel denique quodlibet aliud Pietatis, aut Charitatis opus peregerint.

6 Qui vero inter adscriptos infirmitatis causa, vel alias legitime fuerint impediti ad visitandam praescriptam Ecclesiam, seu publicum Oratorium, etiam quia propria Ecclesia Parochialis valde admodum distet, ex speciali Sanctitatis Suae gratia easdem Indulgentias lucrari possunt, dummodo tamen caeteras omnes condiciones adimplentes, alia pia opera, vel preces a respectivis Confessariis injungendas praestiterint. Atque etiam Sanctitas Sua benigne indulxit, ut adscripti Christifideles, qui vel ob physicam infirmitatem, vel ob aliud legitimum impedimentum enunciato Triduo ante duo festa Inventionis Sanctissimae Crucis, ac S. Francisci Xaverii, a pia Societate, ut supra dictum est, celebrando interesse nequeant, enunciatam nihilominus tercentorum dierum Indulgentiam consequi valeant, dummodo privatim respectiva Tridua peragant.

7 Praeterea Sanctitas Sua benigne concessit, ut omnes adscripti utriusque sexus, qui in religiosis Domibus, Collegiis, Conservatoriis, aliisque locis piis, omnes scilicet, qui in *Communitate*, ut vulgo appellant, vitam degunt, praefatas omnes Indulgentias lucrari possint propriam Ecclesiam, vel ea deficiente, etiam privatum domus, qua degunt Oratorium, seu Cappellam visitando, ibique, ut alias jam dictum est, orando, loco visitationis ejusdem in praescripta Ecclesia, vel Oratorio publico pe-

ragendae dummodo caeteras omnes condiciones fideliter adimplerint.

Quapropter eadem Sanctitas Sua pium hoc Institutum ad saluberrimum Missionis opus fovendum, et sustentandum plurimum in Domino commendans, haec omnia privilegia, et Indulgentias Apostolica auctoritate concessas publicari hoc Decreto absque ulla Brevis expeditione mandavit, ut omnes Christifideles eidem adscripti elargitis Indulgentiis, et Gratiis perfrui valeant, quibus etiam tam vivis, quam defunctis concessum est, ut participes sint Laborum, Orationum, Suffragiorum ac Sacrificiorum, quae pro ipsis ab Episcopis, et Missionariis per totum Orbem, ac ab universa Societate applicantur.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 17 Octobris 1847.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEFECTUS  
A. Archip. Prinivalli Substit.

DXCVIII.

URBIS ET ORBIS

Ne fideles ob apocriphas Indulgentias decipiantur, delatae fuerunt preces huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae pro declaratione, an Orationi, cujus initium *Ave Maria doloribus plena etc.* quae Divo Bonaventurae Ecclesiae Doctori tribuitur, revera Indulgentiae a Clemente XIV san. me. sint adnexae, prout in aliquibus Imaginibus B. M. V. Septem Dolorum, quae per Orbem circumferuntur, reperitur inscriptum; cum vero huic eidem Sac. Congregationi de praefata Indulgentiarum authenticitate non constet, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX in Audientia diei 23 Decembris 1847 clementer indulxit, ut omnes utriusque sexus Christifideles, quoties corde saltem contrito ac devote praedictam Orationem recitaverint, toties centum dierum Indulgentiam lucrari possint, et valeant. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis ex-

peditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 23 Decembris 1847.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
J. Gallo Secret.

A MARIA DESOLATA

*Ave Maria, doloribus plena: Crucifixus tecum: lacrymabilis fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria Mater Crucifixi; lacrymas impertire nobis crucifixoribus Filii tui, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.*

DXCIX.

ATREBATEN.

*Cardinalis de la Tour d'Auvergne Lauraguais, Episcopus Atrebatensis in Gallia exposuit possidere S. Francisci Salesii Supparum (vulgo Rocchetto). Nunc ut Supparum hoc publicae venerationi exponi possit, exhibitis Sac. Congregationi documentis, quaerit.*

1.<sup>o</sup> *An constet de ejus authenticitate?*

Et quatenus affirmative

2.<sup>o</sup> *An eidem cultus sit permittendus?*

Sac. Congregatio visis documentis, auditisque Consultorum votis, sub die 31. Januarii 1848 respondit:

Ad primum » Non constare.

Ad secundum » Provisum in primo.

DC.

NANCEJEN.

Episcopus Nancejensis postulat utrum erectio, et benedictio Stationum Viae Crucis in Ecclesia, vel Oratorio ita fieri possit, ut ante ceremoniam, vel etiam die praecedenti, quatuordecim Cruces cum Tabulis pietis, si quae sint, suspendantur in locis praefixis, et earum benedictio fiat a Sacerdote ad eas ante Aram converso, quibus expletis, Sacerdos ad singulas Cruces genuflexus incensat, et orat more solito, vel utrum expositio, et suspensio fieri debeat durante ceremonia, quod quidem esset difficillimum?

Sac. Congregatio respondit « Servandum in omnibus consuetudinem » atque ita decrevit die 31. Januarii 1848.

DCI.

CONSTANTIEN.

*Josephus Gilbert Presbyter Canonicus honorarius Ecclesiae Constantiensis Provinciae Rothomagen. in Gallia Superior Minoris Seminarii Mamvillae in eadem Dioecesi a Sac. Congr. quaerit « An quaedam speciales preces quotidianae sint necessario recitandae ad obtinendas Indulgentias quae a Summis Pontificibus fuerunt concessae Sodalibus Congregationum de B. M. V. rite institutarum in Collegiis, et aliis locis etc. Romanae Congregationi consociatarum. Ratio dubii in eo statuitur quod hujusmodi preces non videantur requirere Decreta de Indulgentiis quae sunt in Congregationibus Apostolica auctoritate concessae? »*

Sac. Congregatio habita die 31. Januarii 1848 in Aedibus Apostolicis Quirinalibus respondit « Ubi nullae sunt praescriptae preces quotidianae ad effectum lucrandi Indulgentias, non tenentur Christifideles ad aliquas determinatas recitandas.

DCII.

TOLOSAN.

*Beatissime Pater « Augustus Daniel Viceparochus de St. Exupère Dioecesis Tolosanae, humiliter proponit casum infrascriptum ». « An quando requiritur Sacrificium Missae pro Indulgentia lucranda, Missa possit offerri pro uno, et Indulgentia applicari pro altero? ».*

Sac. Congregatio sub die 31. Januarii 1848. « Audito quoque uno ex ejusdem Sac. Congregationis Consultoribus respondendum esse censuit » Communicetur Oratori votum Consultoris.

*Votum Consultoris. « Hanc eandem quaestionem enucleandam sibi proponit doctissimus P. Joannes Cavallieri, scilicet an Indulgentia, et Sacrificium dividi queant? Respondet nexum quaestionis pendere ex verbis Indulti. Si Indultum cantet: qui*

pro defuncto Missam in tali Altari dixerit, liberat animam ejus etc. tunc Sacrificium, et Indulgentia non possunt dividi, sed utrumque pro eodem defuncto est applicandum. Pariter si fundator, aut stipem erogans imponat onus celebrandi in Altari privilegiato, divisibilitas locum non habet: per impositionem quippe talis oneris censetur etiam voluisse applicationem Indulgentiae. Si autem in Indulto omissum fuerit etc. pro defuncto, sed tantum datum fuerit ordinario modo pro Altaribus privilegiatis, tunc dividi potest Indulgentia, scilicet offerri Sacrificium pro uno, et Indulgentia applicari pro altero. Sic Sacerdos onus habens sacrificandi, sed non in Altari privilegiato, adhibet siquidem obligationem suam per applicationem Sacrificii, et liber est quoad obligationem Indulgentiae, de qua nequit stipem percipere, quod simoniacum est. Quae solutio et mihi arridet: nam Indulgentia etiam pro defunctis est donum ex Ecclesiae thesauro depromptum, qui constat ex meritis Christi, Beatae Mariae Virginis, et aliorum Sanctorum, opera vero injuncta sunt conditio solum, sine qua effectum non sortitur Indulgentia: ergo aliud est Indulgentia, aliud opus injunctum. Porro si applicatio Indulgentiae pro solis defunctis concessae necessario conjuncta esset cum applicatione Sacrificii, Sacrificium, et Indulgentia forent unum, et idem, ergo Sacrificium non esset tantum opus injunctum, nec Indulgentia ex Ecclesiae thesauro deprompta; sed ex valore infinito ejusdem Sacrificii, qui certe Ecclesiae potestati non subest, sed voluntati Dei finito modo applicantis, atqui Sacrificium est tantum opus injunctum, et Indulgentia non ex valore, sed fructu Sacrificii, ergo non sunt unum, et idem, adeoque Sacrificium, et Indulgentia dividi possunt (saltem dum aliud in Indulto non exprimitur) et consequenter in hac hypotesi Sacerdos potest Sacrificium offerre pro uno, et Indulgentiam applicare pro altero. Haec sunt, quae sapienti judicio vestro, Eminentissimi Patres, subjicienda esse duxi».

Atque ita Sac. Congregatio respondit die 31. Januarii 1848.

DCIII.

BRIOCEN.

Episcopus Briocensis proponit humiliter casum ut infra « Sac. Congregatio Indulgentiarum responsum dedit negativum huic quaestioni scilicet ». An sit necessarium pro Confraternitate Sanctissimi Rosarii B. M. V. ut Altari B. M. V. apponatur Imago ejusdem cum quindecim Mysteryis in circum; « cum vero dictae Confraternitatis Institutio a PP. Dominicanis concessa infert necessitatem praefatae imaginis, quaeritur quid sit agendum? ».

Sacra eadem Congregatio sub die 31. Januarii 1848. decrevit respondendum esse « In decisio sub die 23. Septembris 1845. et notificetur P. Procuratori Generali Ordinis Praedicatorum ».

DCIV.

URBIS ET ORBIS

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. Omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, corde saltem contrito ac devote sequentes preces recitantibus, centum dierum Indulgentiam pro qualibet earumdem precum recitatione benigne concessit; iis vero Christifidelibus, qui una saltem vice singulis diebus per integrum mensem ipsas recitare pro more habuerint, Indulgentiam Plenariam semel in uno quoque mense acquirendam, ea scilicet die, qua vere poenitentes confessi, ac Sacra Communionem refecti, aliquam Ecclesiam devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, clementer est elargitus. Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis expeditione; facta insuper potestate tam Plenariam, quam Partialem Indulgentiam animabus quoque in Purgatorio detentis applicandi. Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 18 Maii 1848.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
Jacobus Gallo Secretarius

ANTIPHONA

*Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.*

*V. Fiat pax in virtute tua.*

*R. Et abundantia in turribus tuis.*

OREMUS

*Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera; da servis tuis illam quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.*

DCV.

*Beatissimo Padre*

*Vincenzo Pallotti Sacerdote Romano Oratore Umilissimo di V. B. supplica umilmente la S. V. a degnarsi di concedere a tutti i fedeli ogni volta che reciteranno le preghiere qui annesse e faranno la pia intenzione, ed offerta del Sangue preziosissimo di G. C. all' Eterno Padre l' Indulgenza di 7 anni e di 7 quarantene e l' Indulgenza Plenaria a quei che per un mese intero avessero fatto le une e l' altra, se confessati e comunicati pregheranno secondo l' intenzione di V. B. Che etc.*

*Die 6 Augusti 1848.*

*Pro Gratia.*

PIUS PP. IX.

PREGHIERE SPECIALMENTE PER IL TEMPO DELLE TRIBOLAZIONI.

*Respice Domine Sancte pater de Sanctuario tuo, et de excelso coelorum habitaculo, et vide hanc sacrosanctam Hostiam, quam tibi offert Magnus Pontifex noster sanctus innocens, dilectus Filius tuus Dominus Noster Jesus Christus pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudine malitiae Mundi. Ecce vox sanguinis Fratris nostri Primogeniti Jesu clamat ad te de cruce. Exaudi Domine, placare Domine, attende et fac; ne moreris propter Temetipsum Deus noster, quia no-*

*men tuum invocatum est super domum et civitatem istam et super universum populum tuum, et fac nobiscum secundum infinitam misericordiam tuam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

*V. Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris.*

*R. Te rogamus audi nos.*

*V. Ut Domum, Civitatem istam, et universum populum tuum Domine defendere, pacificare, custodire, conservare et piissima misericordia tua respicere digneris.*

*R. Te rogamus audi nos.*

*V. Per sacrosancta humanae Redemptionis Mysteria.*

*R. Cito anticipent nos Domine misericordiae tuae, et parce populo tuo.*

*V. Per merita et intercessionem Beatissimae Genitricis tuae, et omnium Angelorum atque Sanctorum.*

*R. Cito anticipent nos Domine misericordiae tuae, et parce populo tuo.*

*V. Sancta Maria sine labe originali concepta, et omnes Angeli et Sancti intercedite pro nobis ad Dominum.*

*R. Ut cito anticipent nos misericordiae Domini, et parcat populo suo, ut omnes cum ipso gaudere possimus in saecula saeculorum. Amen.*

*Omnipotens et misericors Deus fiat semper et in omnibus Sanctissima voluntas tua secundum infinitam et aeternam misericordiam tuam. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.*

PIA INTENZIONE ED OFFERTA

*Eterno Padre in unione di tutta la Corte celeste, e coi cuori Santissimi di Gesù e Maria intendo avervi offerti ed offerirvi da tutta l' eternità e per tutta l' eternità il Sangue preziosissimo di G. C. i suoi meriti infiniti, e della Chiesa, in isconto dei nostri peccati, e di tutto il mondo, per la liberazione di tutte le anime del Purgatorio, ed in ringraziamento come già a noi e a tutti di tutto il mondo presenti e futuri aveste concesso tutti quei doni, grazie, e misericordie, che sono della*

*vostra maggior gloria e di maggior santificazione di tutte le anime nelle presenti tribolazioni sebbene abbiamo meritato i vostri divini flagelli, e come già di tutto il mondo avete formato un solo ovile, ed un solo Pastore, onde tutti vivendo nella fede, nella speranza e nella carità del N. S. G. C. in terra, giungiamo tutti a cantare in eterno le vostre divine misericordie nel cielo. Amen.*

DCVI.

URBIS ET ORBIS

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX concessit easdem Indulgentias, ut in Decreto (DCIV) recitantibus Antiphonam et Orationem pro Pace italico etiam idiomate, ut infra. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 18 Septembris 1848.

*Date, o Signore la pace ai nostri giorni, perchè non vi è altri, che per noi combatta, se non Voi nostro Dio.*

*V. Abbiassi la pace nella tua virtù.*

*R. E l'abbondanza de' tuoi ajuti ne' tuoi difensori.*

ORAZIONE

*Signore, mio Dio, da cui vengono a noi i santi desiderj, e i retti consigli, e le giuste operazioni; date ai vostri servi quella pace che non può dare il mondo, acciocchè i nostri cuori sieno tutti dediti ai vostri comandamenti, e tolto il timore dei nemici, i giorni nostri siano per vostra protezione quieti e tranquilli. Per i meriti di Gesù Cristo Signor Nostro. Così sia.*

DCVII.

AUTHENTICITATIS OPUSCULI

VULGO DELLA RACCOLTA DI ORAZIONI ETC.

Duodecimae Editionis Romanae

*Cum Indulgentiarum usus Christiano populo maxime salutaris sit, ut ait sacra Tridentina Synodus, Romani Pontifices, Quibus praecipua sollicitudo est de Dominici gregis salute pro-*

curanda, numquam defuerunt, quin certis, quibusque locis, certis, quibusque temporibus, injunctis operibus exequendis, Indulgentias sive Partiales, sive Plenarias ad Christifidelium spirituale utilitatem elargirentur, atque ut de ipsius Indulgentiarum thesauri plenitudine omnes acciperent, plures quoque sacras preces, ac pia opera sacris pariter Indulgentiis ditari omni tempore studuerunt. Accidit tamen, immo persaepe evenire solet, ut ipsae Indulgentiae non acquirantur, vel quia eorum concessio ignoratur, vel quia ad lucrandas eas, quae indiscriminatim in nonnullis opusculis, aut impressis foliis, sine hujus S. Congregationis approbatione reperiuntur, nec singulae, nec integrae conditiones declarantur.

Quamobrem opportunum ac necessarium jamdudum videbatur, ut preces ipsae, nec non pia opera, praecipue illa, quibus ex generalibus Summorum Pontificum concessionibus, Indulgentiae sunt adnexae, ex suis germanis fontibus fideliter haustae et simul collectae atque ordine digesta in vulgus ederentur. Quod erat in votis, superioribus annis perfecit Reverendissimus Canonice Telesphorus Galli clarae memoriae, praefatae Sacrae Congregationis Consultor. Praedictas enim preces, et pia opera in unum volumen accurate et non levi labore redegit, injunctas conditiones pro Indulgentiis assequendis singillatim exposuit, typisque undecies in hac Urbe evulgavit. Cum vero ab Ecclesiasticis viris plurimisque Christifidelibus iterum urgeat hujusmodi Collectionis continuata petitio, ab Archipresbytero Aloisio Prinzivalli Substituto Secretariae hujus Sacrae Congregationis, nunc iterum ex Typographia Salvioniana in lucem editur, non modo ab ipso recognita, sed novis generalibusque concessionibus a Pio IX Pontifice Optimo Maximo locupletata.

Itaque Sacra haec Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita non solum praedictum opus omnibus Christifidelibus vivis atque defunctis maxime perutile fore probavit, et ut authenticum recognovit, verum etiam monuit, ut si in quacumque ejusdem operis editione, seu versione cujuscumque idiomatis tam intra, quam extra urbem jam exarata, vel in posterum exaranda,